



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Matthias Apost. 24. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

136 VITÆ SANCTORUM. 24. Feb.
res minus jam mirer familiarem NICO-
LAI cum beatis Alitibus consuetudi-
nem; qui, cum dæmon malus Divum
per fenestram jam jam in præceps age-
ret, auxilio officiosi ad volarunt, terri-
tumque in geminos choros divisi anima-
runt, mox etiam oculis omnem, qua in
ipsis amatur, spectandam elegantiam
propinarunt. S. Dorothea etiam animo
inter insultus dæmonis fluctuanti præ-
sentem opem tulit. Sed ego modestiam
miror animi in NICOLAIO. Prior omni-
bus in monasterio cum esset, ut postre-
mus esset, frustra diu supplicarat; tan-
dem orando undecies millies Dominica-
cam, tories Angelicam precationem,
cælum exoravit. Ergo tanti putavit ho-
nores vendere, quanti hodie emerent
alii. Ex ligno vitæ Arn. Wion.

Per Christum sensibus innovatus, abje-
cta sæculi hujus figurâ formam tuam in
formam tui redire Salvatoris; ut novitas
sensuum tuorum in tuis actibus elucescat,
¶ cœlestis homo cœlesti habitu jam gradia-
tur in terra. S. Pet. Chrys. hom. 120.

S. MATTHIAS APOST. 24. Februarij.

Quem locum scelere infando & mor-
te infami vacuum Judas fecit, cum
hodie MATTIAS virtus occupavit, nu-
merumque numero suo carentem felicis-
simè instauravit, cum nobilissimo Can-
didato cæli etiam vota suffragarentur.

Eigo

24.Feb. VITÆ SANCTORUM. 137
Ergo postquam orbi bellum movere pla-
cuit, M A T T H I æ provincia decreta est
Iudæa, ob infensissima populi in Chri-
stum odia, longè id temporis difficilli-
ma. Sed magnis animis hanc aggressus
M A T T H I A S facile debellavit. In Æ-
thiopiam quoque excurrit. Ibi pugnatum
verbis ac prodigiis persæpe, & expugnati
multorum animi Christo, & M A T-
T H I æ dditionem fecerunt. Interea
successu rerum felicissimarum rumpe-
bantur Pontifices, uti populi, ita odii in
Christianos principes. Neque tamen a-
liud, quād triumphum parabat invidia.
Hunc concessit Pseudopont. cùm mor-
tem indixit. Magnum deinde fecit po-
puli concurrentis furor. Ornarunt præ
reliquis testes duo mendaces iidemque
carnifex, ut qui primi M A T T H I A M
lapidibus petierunt. Hos ille velut accla-
mantium symbola accepit, velutique
triumphi sui decora tumulo secum infer-
ri præcepit. Denique ut integer suus
pompæ honor constaret, secures, quæ
præferri aliæ solebant, ipse triumphator
tulit. Ex Ioach. Peronio.

Primatum adeptus est gentium S. Mat-
thias, quia prius si bimet didicit principa-
ri. Sic namque ad veri honoris consendi-
tur cathedram, ut antè quis sibi, deinde
dominetur & cæteris. Nunquam aliis be-
nè præ erit, qui sibi extiterit nequam. B.
Laur. Iust. serm. de S. Matth.